



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Equitius C. 7. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

Superi, quibus studiis veteres verbum illud *BENE* emendicarunt! De stipendio quid dicam? dum præter ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non potuit petere. Ad aram porrò cum fecisset, solemne habuit facienti deinde alteri pro ministerio assistere, ut quidem amant facere in pietate discipuli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus Doctor fecit. Denique in unam Dei gloriam coniecit oculos; atque hinc à morte stellâ pectus insignis, dixit eam purâ animi intentione se meruisse. Itaque astra in quæ collimavit, facile obtinuit? nos quia oculo non cælum amplissimum, sed scopum terram pusillam statuimus, toto cælo erramus. *Ex Surio.*

*Nescit vincere vitia corporis, que deponit cingulum virtutis. Christi ergo castitatis baltheo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxam carnis detrunchemus ignaviam, & regis nostri expectatione vigiles, insomnem sæculi somnum nesciamus. Pet. Chrysol. serm. 22.*

## S. EQUITIUS C. 7. Martij.

**Q**uod paucis datum est, castitatis donum *EQUITIUS* Angelorum beneficio consecutus est, qui omnem libidinis fomitem auferre à dormiente sunt visi. Qui nosse cupit, qui sibi Angelos tam demetuerit, noverit precibus id fecisse

7. Mart. VITÆ SANCTORUM. 157  
cisse castis, quas si in carnis luctâ cum  
EQUIRIO plures funderent, plures  
etiam hostem funderent. Cæterum rude  
donatus miles noster, nihilominus pro  
castitate sedulus vigilavit. Quare cum  
Basilium Magum recipere inter mona-  
chos cogeretur, palàm edixit dæmonem  
sub monachi laryâ latere, quam illi tunc  
detraxit, cum virgo è velatis febrî cor-  
repta unius Basilii opem inelamavit. Re-  
ctius enim EQUIRIUS hanc curavit,  
Basilio medico extra septa monasterii  
ejecto. Alterum dæmonem ex alterâ vir-  
gine proscripsit. Sed ille bellè se purga-  
vit, eum otiosum lactucæ insedisse, &  
gulosæ dentibus ultro petiitum se & de-  
voratum dixit, utique levi manu, quæ  
cruccem duceret, abigendum. Porro alte-  
rum donum ab Angelo tunc tulit, cum  
linguam ejus hic ferro tetigit, ut jam,  
etsi vellet, tacere de Deo non posset.  
Quòd tamen sui contemptum in mori-  
bus etiam & vestibus præ se ferret, obfi-  
stere dicenti ad populum Pont. per nun-  
tium cogitabat. Sed uterque aliter moni-  
tus à cælo, cœptis destitit. Mortuus  
deinde EQUIRIUS tamen suos à Lon-  
gobardorum vi defendit. Cum enim hi  
trucidandos monachos à tumulo Divi  
abstraherent, hostibus hic alios hostes  
dæmones malos immisit. Ab his infessi  
Longobardi obsidionem scilicet cœnobii  
solverunt. *Ex Dial. S. Greg. l. 1. c. 4.*

*Nem*

Non debet fidelis anima, qua Angelorum consortia concupiscit, demoniorum laevis delectari: quicumque vel est Templum Dei, vel esse desiderat, sollicitè caveat, ne cum sectando desinens esse templum Dei sit habitatio tenebrarum, fiat Daemonis monumentum. S. Max. de Circumcis.

## S. PHILEMON M. 8. Martij.

**D**edit hodie caelo risum PHILEMON, cum terris tantum pararet nimis doctus minus. Apollonius Christianus sacrificare Diis iussus, cum & scelus facere, & , ni faceret, poenas dare metueret, auro PHILEMONEM corrumpit, jubetque ut *Apollonium* interim induat, dum sacrificet. Ille dum *Apollonium* veste, vultu gestuque mentitus omnium oculos, & , quod mirere, suos adeo fallit, repente advertit non vestem modo, sed animum etiam Christianum se induisse. Crucis signo (ipse se miratus) armat. Negat demonibus litaturum. Denique jam non agere Christianum, sed esse talis videtur. Nempe furere Apollonium exclamat Praeses Arrianus, jubet tibicinem PHILEMONEM adesse, qui mulceret insanientem. Mox re omni intellecta cachinnum tollit, acclamat, plaudit, bellissimam fabulam multis laudat, nimisque bene simulasse PHILEMONEM Christianam religionem ait. At PHILEMON